

Petrus de Vinea

*Ep. V 71 (Cum de
prudentia et fidelitate...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 71 (Cum de
prudentia et fidelitate...)*

febbraio 1246-novembre 1248

Friderico de Antiochia, ut assignet uicariam cuidam, quem prefecit in capitaneum.

1. Cum de prudentia et fidelitate I. de ..., fidelis nostri, confisi, ipsum capitaneum loci illius duxerimus statuendum, tuae fidelitati precipiendo mandamus, quatenus eidem I., fideli nostro, sic a maiestate nostra capitaneo ordinato, statim, receptis presentibus, castrum ipsum et capitaniam cum captiuis, armis et rebus aliis ad curiam nostram pertinentibus, quae in tua pro parte nostra retines potestate, assignare procures. 2. Eumdem, ut conuenit, instituturus de ipsius custodiae circumstantiis, qualitatibus hominum et moribus regionis, sicut ad honorem et incrementum nostrae celsitudinis melius et cautius uideris expedire. 3. Mandamus preterea, quod de omnibus et singulis, quae sibi assignaueris, fieri facias tria scripta consimilia ad cautelam: unum quorum per te uolumus nostrae Camerae assignari: aliud uero penes te, et aliud penes eumdem I. fideliter conseruari, ut deponendi per nos ratiocinii nostri tempore similis eis conformitas habeatur.